



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XII. Argumentum. Declarantur effectus Pollutionis Ecclesiæ; functiones sacræ, quæ fieri non possunt in Ecclesia polluta; & pœnæ contra Sacerdotes illas facientes. An bona fides eos excuset? ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

reverentiam. Aut nondum Canonem inceperat; & debet statim discedere, quia Sacrificium non dicitur substantialiter inceptum, ut probat, & tenet Passer. quindecim Doëtoribus citatis *Disput. 9. cap. 27. num. 4.* ubi idem statuit, si excommunicatus publice denunciatus, vel notorius clerici percussor veniret in Ecclesiam, & nollet ab ea exire. Et cum prædictis D.D. concordat *Rubrica Missalis par. 3. tit. 10. n. 2.*

AD CASUM PRUDENTIALEM.

5 **C**um plures Ecclesia teneantur sordida, & cum indecentia, notentur remedia ad hunc abusum tollendum. Dixere. 1. In sermonibus monendos illos, ad quos spectat, Ecclesias decenter tenere, quod hac de causa veniunt ficitates, & tempestates super frugibus terræ, teste Propheta *Aggeo cap. 1.* 2. Deputandum custodem diligentem, qui eas frequenter mundet. 3. Eundem pecuniis fabricæ, vel eleemosynis decenti mercede, seu stipendio munerandum. 4. Ipsosmet Parochos satagere, ut munda sint Altaria, scamna, & parietes, ipsis enim hæc cura præcipue censetur à Jure demandata. 5. Ad hunc effectum sæpe legant, quæ sunt ordinata in Synodaliibus Constitutionibus *par. 1. c. 12.* 6. Considerent Rectores Ecclesiarum, se reddituros rationem Deo de earumdem nitore, & ideo tales se gerant, ut mortis tempore dicere possint: *Domine dilexi decorem domus tuæ. Psal. 25.* 7. Cogitent in se, & aliis prædicent, quanta reverentia tenebatur Templum Hebræorum, undè eo magis debent ornari Ecclesiæ nostræ, ubi inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter *Col. 2. 9.* 8. Parochi non sint avari in expensis faciendis pro ornatu Ecclesiarum, & eos pudeat, domi suæ habere suppellectilia pretiosa; Ecclesias autem permittere cum telis aranearum, vel tobaleis laceris, & immundis. 9. Meditentur, quod licet Dominus vixerit cum omni humilitate, & paupertate, tamen Sacram Eucharistiam instituit in Canaculo grande strato. 10. Exequantur Parochi Decreta Visitationis. 11. Vicarii foranei non permittant eadem Decreta incassum iri. 12. Tandem legant omnes librum, cujus titulus. *Il Vero Ecclesiastico lib. 2. cap. 10.*

DECISIO DUODECIMA.

ARGUMENTUM.

Declarantur effectus Pollutionis Ecclesiæ; functiones sacræ, quæ fieri non possunt in Ecclesia polluta; & penæ contra Sacerdotes illas facientes. An bona fides eos excuset? Et an pollutio Ecclesiæ extendatur ad cimiterium? & è contra? Monita pro nitore suppellectilis sacræ.

SUMMARIUM.

1. Effectus tres Pollutionis Ecclesiæ.
2. Functiones sacræ quæ sint prohibita in Ecclesia polluta?
3. Penæ statuta contra ministrantes Sacra in polluta Ecclesia.
4. Differentia inter Ecclesiam pollutam, & interdictam.
5. Reconciliatio Ecclesiæ pollutæ an resulet, ex sola Missæ celebratione bona fide in ea facta?
6. Pollutio Ecclesiæ an afficiat Cimiterium, & è contra?
7. Suppellex sacræ quibus diligentius nitida servetur?

Ad infra scripta Quæstia, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dixere.

1 **A**D Primum. Qui sint effectus Pollutionis Ecclesiæ? Esse tres sequentes videlicet. 1. Quod

Sacramenta ibi non celebrentur. 2. Quod Divina Officia ibi non persolvantur. 3. Et quod Ecclesiastica sepultura ibi non tradatur. Ita ex *Can. Ecclesiæ. 1. & 2. De consecrat. dist. 1. cap. 15 qui 18. de Sent. excomm. in 6. cap. fin. De consecr. Eccl. vel Alt. cap. Unico eod. tit. in 6. cap. Tuarum 11. de Privileg. omnia Jura allegat, & explicat Passer de Pollut. Eccl. disp. 9. c. 1.*

Ad Secundum. Quæ Sacramenta, vel functiones sacræ fieri non possunt in Ecclesia polluta? Plures plura scripsere, ex quorum opinionibus colligitur, quod quinque fieri non possunt in Ecclesia polluta. 1. Missa, nisi semel in hebdomada ad renovandas particulas consecratas pro Viatico infirmorum. *Ugolin. de offic. & pot. Episc. p. 2. c. 29. §. 7. num. 1. Jordan. tom. 1. lib. 5. tit. 12. num. 147.* 2. Administratio Eucharistia, nisi infirmis morti proximis pro Viatico. *Suarez de Censuris disput. 34. sect. 1. num. 31. & 32. Passer. d. disput. 9. cap. 20. num. 4.* 3. Ordinis Sacramentum, nisi in casu urgentis necessitatis. *Passerin. d. disp. 9. cap. 22.* 4. Hora Canonica, & aliæ orationes publicæ, tanquam ab Ecclesia ordinatæ. *Passer. ibid. cap. 30.* Nonnulli ex hoc rectè collegerunt, non posse in Cimiterio polluto decantari Responsoria, vel Dies iræ, aut Psalmos à Clericis cum Cotta, Stola, Pluviali, & Cruce; quia ut tales sunt Ecclesiæ Ministris, & illa censentur Officia Divina publicæ, & sic prohibita. Et 5. Campanarum pulsatio in his, quæ concernunt Officia Divina. *Covarruvias in c. Alma Mater p. 2. c. 4. §. 3. Passerin. d. disp. 9. c. 43. num. 2.* Quamvis servetur in praxi, ut in Ecclesia polluta fileant omnino Campanæ, etiam ad Salutationem Angelicam; ad majorem terrorem delicti pollutivi Ecclesiarum. Quibus stantibus à contrario manifestum esse dixerunt, licere in Ecclesia polluta administrare Sacramenta Baptismi, Confirmationis, Pœnitentiæ, & Matrimonii, ut latè probat *Passerin. d. disp. 9. c. 10. & sequentibus* ubi Canones, & Doctores cumulat.

Ad Tertium. Quam sint penæ statuta contra Sacerdotes administrantes Sacra, quæ administrari non possunt in Ecclesia polluta? Censuerunt, duas esse penas statutas. Unam, peccatum mortale. *Passerin. disp. 10. cap. 1.* Nisi excuset levitas materiæ. Idem Auctor *ibid. cap. 3.* Alteram punitionem ad arbitrium Episcopi. *Jordan tom. 1. lib. 5. tit. 12. num. 144. Barbosa de Offic. & potest. Episcopi alleg. 28. num. 54. Passerin. d. disputat 10. cap. 5. num. 4.* ubi advertit, hanc esse differentiam inter celebrantes in Ecclesia interdicta, & in Ecclesia polluta; quia in primo Casu celebrantes incurrunt suspensionem, & irregularitatem; at in secundo Casu, non incurrunt censuras, sed tantummodo mortaliter peccant, juxta *rex. in d. cap. 15 qui. 18. De Sentent. excomm. in 6.*

AD PRIMUM CASUM.

Quidam Sacerdos bona fide celebravit in Ecclesia polluta. Quaritur, an censetur ex hoc reconciliata? Alii qui affirmarunt, ducti exemplo Vestium, vel Calicis nondum consecrati, qui consecrantur sola Missæ celebratione facta cum ipsis; ut tenet Diana *coordin. tom. 2. tract. 1. resol. 174.* Sed studiosiores negarunt, defendentes, (& quidem optime) ex sola Missæ celebratione, Ecclesiam non censeri reconciliatam, ea ratione quia reconciliatio pendet ex certa Verborum forma, & solemnitate ab Ecclesia instituta, ut advertit *Layman. l. 5. de Sacrif. Missa cap. 5. num. 13. & The.*

de Penis Eccl. part. 2. Verb. Sacrilgium cap. 5. Vers. Adverte etiam, ubi responder similitudini Calicis, & Vestium. Et mea Erotemata cap. 31. num. 26. ubi alii Doctores.

AD SECUNDUM CASUM.

6 Queritur, an polluta Ecclesia, censeatur pollutum etiam Cimiterium? Et contra polluto Cimiterio, an sit polluta etiam Ecclesia? Omnes cum hac distinctione responderunt: vel Cimiterium est Ecclesie contiguum, vel est separatum. Primo Casu, si polluat Ecclesia pollutum censetur etiam Cimiterium? non autem è contra; quia polluto Cimiterio, non censetur polluta Ecclesia. Secundo Casu, per Ecclesie pollutionem, nequaquam polluitur Cimiterium ab ea divisum, & separatum. Ita ex Grassio p. 1. lib. 2. c. 48. num. 29. & ex Passerino de Pollut. Eccl. disp. 2. c. 47. Et est rex, in c. unico, De Consecr. Eccl. in 6. Erotemata mea c. 29. n. 42. & n. 43.

AD CASUM PRUDENTIALEM.

7 Quibus diligentius debeant Parochi utri, ad effectum servandi cum munditia, & nitore suppellectilia Sacra? Dixere. 1. Quod Parochi completo Sacrificio, & Divinis Officiis non relinquant vestes sacras incomplexas super scamnis, sed statim bene plicatas reponant, vel reponere faciant in suis armariis. 2. Ad hunc effectum habeant armaria sufficientia, bene condita, cum suis clavibus, & bene claudantur. 3. Non admittantur quæcunque personæ ad Vestes sacras pertractandas, ferendas, & plicandas, ut potè rustici, sordidi, & minus idonei; sed qui sciant cum munditia, & nitore eas plicare. 4. Parochi eas frequenter invisant, & lavare faciant tam corporalia, & purificatoria, quam mappas Altarium; & refarcire curent; quæ vetustate deficiunt. 5. Reponant in suppellectili Sacra flores, & herbas odoriferas, nempe rosas siccas, & lavandulas, quibus & nitida, & bene olens reperiatur. 6. Bis singulis annis Altaria post Missam usque ad Vesperum spoliata relinquantur, ut fici aeris beneficium sentiant, & undequaque mudentur. 7. Mappæ, & pallia mutantur frequenter, & quotidie arundinea scopula leviter purgentur, prout etiam Icones & Tabernaculum Sanctissimæ Eucharistie. 8. Teneatur in gradibus Altaris Arcula ad spiritum excipiendum, quæ purgetur octavo saltem quoque die. 9. Candelabra, Cruces, Thuribula, & reliqua suppellex argentea, quantum fieri potest, manibus nudis ne contrectetur; sed panno adhibito, & sæpe à pulvere extergantur leniter, adhibito molli, & lineo panno. 10. Calices, & patinæ semel in mense levi manu aqua tepida laventur, & semel in anno calida lixivina, & sapone molliori. 11. Candelabra, & Cruces ex aurichalcho quarto quoque mense diligenter abstergantur pulvere puniceo, vel ut vulgò dicitur cum gripola, seu uvis agrestibus, & panno asperiori fricentur; & soli siccanda exponantur. 12. Lampades vitreæ quintodecimo quoque die sursum, & aqua calida abstergantur. 13. Urceoli, & pelliculæ purgentur, & laventur quotidie. 14. Linea omnia, id est Albæ, Amictus, Cinguli, Superpellicea, Mappæ, Purificatoria, Corporalia, Linea ad manus abstergendas laventur separatim ab indumentis domesticis, & custodiantur in propriis armariis, & frequenter mutantur. 15. Præcipuis solemnitatibus omnia munda, & pulchriora adhibeantur. 16. Quotidie finitis Missis Mappæ Altarium contegantur stragulis suis,

17. Pluvialia, & alia, quæ raro adhibentur, quandoque in sereno Cælo explicata exponantur, ne fortè mucescant, vel malè oleant. 18. Meminerint Parochi, & Rectores Ecclesiarum Sacram suppellectilem in Sacris Scripturis Sanctam vocari; ideo omni cura, & diligentia esse colendam, & ex consortio Corporis, & Sanguinis Domini sublimi Majestate esse venerandam; propterea severè puniendos à Christo Domino desides, & pigros in hac custodia. 19. Curent omnes adimplere Decreta Visitationis EMINENTISS. PRÆSULIS, quæ tangunt præsentem materiam. 20. Tandem legant, quæ scripta sunt de Nitore, & Munditia Sacre suppellectilis à Bart. Cavanio post Comment. in Rubric. Missalis par. 5. pag. 262. & ab Illustrissimo Episcopo Pompeo Sarnello Specchio del Clero Secolare tom. 1. pag. 13. & tom. 2. pag. 31. ubi & de Mysteriis ejusdem Sacre Suppellectilis, & de modis eam custodiendi latius pertractatur.

DECISIO DECIMATERTIA.

ARGUMENTUM.

Agitur de Immunitate loci Sacri, & de securitate Reorum ad Ecclesiam confugientium, Quo jure sit introducta. Quæ loca gaudeant hac immunitate; Quæ delicta sint excepta: Quæ pœnæ infligantur contra violantes illam: Casus duo de delinquentibus in Ecclesia, & an gaudeant ejus immunitate: Remedia pro temperantia Ecclesiasticorum in cibo, & potu.

SUMMARIUM.

1. Immunitas loci Sacri in quibus consistat.
2. Quo jure sit introducta, & n. 5.
3. Jus Divinum duplex positivum & naturale.
4. Exempla, & Historia antiquissima de Immunitate loci Sacri.
5. Papa an dispenset in Jure Divino naturali?
6. Loca quatuordecim, quæ gaudent Asili privilegio.
7. Delicta octo, quæ non gaudent immunitate Ecclesie.
8. Pœna contra violantes immunitatem loci Sacri.
9. Occidens hominem stans intra, vel extra Ecclesiam, an gaudeat immunitate loci Sacri?
10. Ira calore, qui facit homicidium in Ecclesia, an sit securus in illa?
11. Temperantia Ecclesiasticorum in cibo, & potu quibus mediis obtinenda.

Ad infra scripta Quæsitæ, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dixerunt.

AD PRIMUM. Quid sit Immunitas concessa locis sacris, pro personis ad ea confugientibus? Omnes in hanc convenerunt responsionem; Quod sit Privilegium concessum Ecclesiis, & Locis sacris, ut Rei ad ea confugientes per vim extrahi non possint. cap. nullus, & cap. si quis 17. quæst. 4. cap. inter alia & cap. Ecclesia. De Immunit. eccles. & Bulla GREGORII PAPÆ XIV. de anno 1591. Quæ est septima in Bullario, & legitur apud Pacem Jordanum tom. 2. lib. 11. tit. 3. num. 1. Et de ea Erotemata mea c. 32.

Ad Secundum. Quo jure sit introducta hæc Immunitas. Non pauci juxta opinionem Laymani lib. 4. tract. 9. c. 3. n. 1. & Bonacina in primo Decal. Præcept. disputatione 3. quæst. 7. punct. 2. dixerunt, eam esse de jure humano. Cæterum Doctissimi Sacre Theologiæ, & Juris utriusque Doctores plurimi in hac Patavina Diocesi animarum curam gerent.